Quelle: https://manuscripta.at/?ID=38233
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek



eorum qui ex eius sunt origine. Sed et eorum qui similiter cre
dunt ex gentibus; Non enim per legem promissio abrahae. aut semini
eius ut heres esset mundi. sed per iustitiam fidei; Manifestum est.
quia neque adhuc. lex data erat; Neque iam erat circumcisio.
quando promissio facta est abrahae credenti et seminiei quod est xpus.
qui omnium peccata abluerat; Unde dicit in euangelio iohannis;
Ecce agnus dei. et qui tollit peccata mundi; Non ergo merito ser
uate legis heres factus est mundi sed fidei; Heres factus est
rae quam in filiis consecutus est; Xpus autem heres est gentium. Ipsi enim
morimur; Si enim qui ex lege sunt heredes. id est si hi qui lege sunt
vel sub lege sunt heredes ex lege sunt; Euacuata est fides abo
lita est promissio; Manifestum est quoniam si ex lege hereditas promissio
quae ex fide est facta ad abraham. In interitum uenit. quando non
est per legem facta promissio. sed per iustitiam fidei hereditas;
Lex enim iram operatur; Ut poenitus ostendat non posse ius
tificari hominem per legem apud deum. neque promissionem per legem
fieri potuisse; Lex ait iram operatur; Fides autem misericordiam
et gaudium; Non contra legem loquitur sed ante ponit illi
fidem quia qui per legem salui esse non potuerunt. Gratia dei
per fidem saluantur; Non ergo lex iram est sed iram operatur
peccati. Id est paenam dum non ignoscat. sed uindicat; poena
uero per iram generatur; Ira autem nascitur ex peccato. ac per hoc
relinqui uult legem. et confugiri ad fidem quae delicta
agnoscit et saluet; Ubi enim non est lex. neque praeuaricatio; Hoc
dicit quia sublatis reis de potestate legis data uenia praeuari
catio nulla est; Iustificati enim sunt qui per praeuaricationem legis fuerant
peccatores; Cessat enim factorum lex. Id est obseruatio sabba
torum neomeniarum circumcisionis escarum Discretio an
malis mostui aut mustelae obseruatio; Ideo ex fide. ut
secundum gratiam firma sit promissio omni semini; Id est omni